



tuisset, curas nostras ut potissimum in Ludouico exor-  
nando poneremus; nisi opportune etiam rescuissimus,  
multa ab auctore nostro domi obseruata, quae, dum vita  
suppetebat, premi, & post obitum in publicum emitti,  
serio voluerat. Et has quidem obseruationes Te cum-  
maxime requisiturum arbitrabar, si quando editionem  
nouam pararemus; quum ut de sententia scriptoris, at-  
que rerum omnium, quas retulit, probationibus, hoc di-  
lucidius constaret, tum ut diuturnae exspectationis Tuae  
duplicem referres fructum. Itaque has etiam, insigni  
pretio a nobis comparatas, liberaliter hoc loco Tibi sisti-  
mus, subiunctas operi priori, eidemque summa fide, pro-  
ut ipse auctor omnia distinxit, recensito. Etenim quam  
sancte & religiose cuncta eius verba habuerimus, hi certe  
norunt, qui, ut nihil quidquam immutari posset, lege  
seuerissima cauerunt. Et qui hanc iniuriam in Manes  
praestantissimi scriptoris, quaeso Te, committere potuis-  
semus, qui nec sumtibus, nec operae, molestisque perfe-  
rendis uspiam pepercimus, ut haec noua spectabilior,  
cunctisque ornamentis ditior editio in publicum prodiret?  
Ita vero nostra Tibi studia probatum iri credimus. Si  
spem nulla re fefelleris, & voluntatem nostram, Tibi  
plurimum inseruiendi, probes, operam profecto dabimus,  
ut consimilia ingeniorum monumenta itidem feliciter  
recipias. Ulmae, Kal. Sept. A. C.

1752.



GER.